



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und  
Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten**

**Calino, Cesare**

**Augspurg ; Graez, 1744**

**VD18 80280064**

Dominica XII. Post Pentecosten.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](#)

5.

*Bene omnia fecit. Marc. 7.*

Dum JESUS honorem ab hominibus semper meruit , & nunquam quæsivit , Patris tamen æterni dispositione copiosum obtinuit ; disce , honorem semper mereri , nunquam quærere ; & tantum honoris à Deo accipies , quantum animæ tuæ proficuum fuerit. Honor fugientem sequitur , quærerentem fugit. *Mense X. Disc. 298. pag. 444.*

## DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

1.

*Quid faciendo vitam æternam possidebo ?  
Luc. 10.*

Ut vanos honores , divitias , voluptates obtineant homines , maximo labore , plurimisque impendiis mundo ac dæmoni serviunt , vanissima illa cum tempore perdituri. Cur igitur nos Deo non strenuè prompteque serviamus pro vita æterna ? Dignum est , alacriter servire Deo , qui pro mercede tam ampla petit tam modica ac facilia. *Mense I. Disc. 8. pag. 98.*

2.

2.

*Quis est meus proximus. Luc. 10.*

Quilibet ipse sibi proximus est ; hic enim ordo charitatis, ut, ubi de salute agitur, tuam prius, quam proximi, cures: diliges proximum tuum, sicut te ipsum ; non plusquam te ipsum. Cur igitur te ipsum negligis ? Certè se ipsum negligit, imò perdit, qui creaturis aut nullo commodo utitur, aut iisdem ad peccandum abutitur. *Mense I. Disc. 15. pag. 232. à num. 5. ad finem.*

3.

*Incidit in latrones. Luc. 10.*

Totum mundum plenum laqueis vedit S. Antonius Abbas : & profecto ubique animæ nostræ struuntur insidiæ à seductoribus: imò dum seducti jam sumus, sunt qui adulando nos in malo confirmant, mala laudant, bona vituperant, ne omnino ad gratiæ vitam resurgamus. Tales latrones ut fugiamus, quam grave eorum peccatum sit, videamus. *Mense IV. Disc. 98. pag. 112. à num. 9. ad finem: cui annexe Disc. 99. pag. 118. usque ad num. 5.*

4.

*Et proximum tuum, sicut te ipsum.**Luc. 10.*

Jucundum & gloriosum est diligere Deum, Dominum tam clementem & tam excelsum :

k 3

fa-

facile & utile est diligere proximum, hominem nempe nobis similem, & cujus auxilio aliquando indigere possimus: necessarium verò est præterea diligere semetipsum. Quisque maximè sibi proximus est, & Deus non jussit, alium diligere plusquam te ipsum, sed sicut te ipsum. Præcedit ergo amor erga nos ipsos: & hic debet esse ordinatus, ut amemus nos infra Deum, & supra omnes res creatas æternæ beatitudinis non capaces. *Mense VIII.*  
*Disc. 215. pag. 21.*

5.

*Incidit in latrones, Luc. 10.*

Quidquid voluerunt, in viatore fecerunt, non DEUM, non hominem, non infernum at-tendentes. Atque illos forte paupertas adegit. Quid verò de illis dicas, qui nullum ex rixa vel duello commodum sperare possunt, sed mala potius gravissima timere debent? Terreat nos peccati gravitas, & periculi mag-nitudo. *Mense VI. Disc. 172. pag. 335.*

## DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

I.

*Ostendite vos Sacerdotibus, Luc. 17.*

Nemo miseratione dignos judicasset leprosos istos, si præscriptum sibi tam facile recuperan-dæ